

**Votivæ adclamationes honori  
solemnis actus præclariss.  
Ac excellentiss. Pro...**

Achrelius, Daniel

*1 Ic 1671 Miltopæi, Martini*



National Library  
of Sweden



VOTIVÆ ADCLAMATIONES  
HONORI

SOLEMNIS ACTUS

PRÆCLARISS. AC EXCELLENTISS. PROFESSORIS  
ELOQUENTIÆ PUBLICI,

DN. M. MARTINI  
MILTOPÆI

QUO ACADEMIÆ HUIUS RECTOR PRIMUM  
RENUNCIARETUR, ANNO 1671, 15 JUNII.

SCRIPTÆ

A

SYMPATRIOTIS ET DISCIPULIS.

---

A B O Æ, Excusæ à JOHANNÈ Winter.

1671

1671



EXCELLENTISS: PROFESSOR.



Quod una cum cordatoribus Academiae nostrae Civibus haecenus feci, & pro porro faciam, id hoc die, hoc festo tempore, solemnius non nihil magisque agam; ita enim & *præterita*, cum præclaram Tuam doctrinam nostrum in usum lubenti ubique animo, & pari sollicitudine effunderes, imo quam altissimè exponeres, aeternam memoriâ recolere decet; *Et futura*, ne antea acta in privatum Tuum vertantur emolumentum, precibus à Deo obtinere fas est. Interea nullos Annales expectabis, quorum loco ACTA publicè privatimque, in consiliis ad salutem Reipub. literariae pertinentibus, sufficientes esse possunt; nec virtutum tuarum laudes, quibus nihil quidquam addere privata nostra facundia, vel detrachere alicujus potest invidia; Sed devotianimi habitum, cum conscientiae fiducia, quem cum fide & munere gratulantium coram te praesertim cum plena votorum sint tantum non omnia, absque cura & arte licebit profiteri. Quemadmodum itaque pios ministros & subditos, bonam vitam salutemque Principis in maxima felicitatis parte posuisse saepe cognovimus, ita nos profecto, quanti momenti sit posse sub alio benigni alicujus Rectoris tuto conquiescere, haudquaquam ignoramus; recurrat qui voluerit ad Annum jam elapsam, in nostra hac Academia ea incrementa justitiae, combinata cum diligentia Docentium, defensione Discipulorum, augmentisque literarum, haud dubie videbit, ut si quidquam de humana industria loqui voluerit,

erit, nihil habere se fateatur quod opponat, nisi, neglectis ve-  
terum Philosophorum nil admirantium decretis, piam, mo-  
destam, & cum judicio ADMIRATIONEM; plura non ad-  
do ne servitutis arguar eorum, quæ ad arbitrium alterius, aut  
loquuntur aut tacent, ut ipsam Eloquentiæ libertatem hac ra-  
tione spe pretii corrumpant & enervent. Eadem illa publicæ  
reimunia ut futuro hoc Anno, pari studio, pari celeritate, suc-  
cessu pari expediantur, Tibi Excel: Professor, R E C T O R I S  
M A G N I F I C I officium, non fatorum modo series, ad hanc  
rem provecta atas, Augustique ordinis Academici suffragia  
demandatum voluere, sed præter magnam eruditionem, ju-  
dicandi quoque dexteritatem, inveniendique solertiam, hæ  
potissimum virtutes, singularis vitæ frugalitas, cum paucis com-  
paranda temperantia, Divina propè continentia, hisce hono-  
ribus debebant coronari. Cujus meditatio ut dulcissima,  
ita longe me afficit prolixius, quam ut in angustias hujus pagi-  
næ primas saltem lineas ausim designare, quanti enim quam-  
que incomparabilis usus sit in confirmandam nostram securi-  
tatem, nemo facile est qui possit dubitare. Cuncta itaque  
fausta ominari, nostrasque cum tuis preces conjungere, ut su-  
sceptam Functionem arduam, si talem credere potest aliquis,  
ex voluntate Dei pie, Clarissimorum Collegarum voto deco-  
rè, usu nostro feliciter, perducas ad metam præscriptam, tan-  
tum est ut justissimum censeamus, scilicet multa cõtemnenda,  
negligenda multa, aliter forsan nunc quam quod vulgo cogi-  
tandum. Interea labore quali semper, amore & studio junctis  
Te in nostra commoda intentum æquè fore, non speramus  
tantum sed & confidimus: nos vicissim quidquid in nobis est,  
saluti & incolumitati devovebimus Tuæ, novimus quomodo  
in bello optima victoriæ pars censetur conservasse Ducem,  
quo salvo sine damno eodemque momento miles cadit, ita o-  
mnes qui Te amamus, Tibi semper militabimus, imo vitam  
hanc amitemus prius, quam ut inter criticorum morsus,

inter sibilos turgentium fastu & invidia, inter improborum hominum convicia Te Te inquam deseramus. Sed licebit forsan Epistolam tandem claudere, quia quo ad institutum meum nihil superest scribendum, alias si omnia quæ deberent scribi adferre possem, fateor plurima longe & majora desiderari. Vale itaque Virorum Excellentissime inque hujus muneris aliorumque perfectionem diu ut sis superstes Deum fidei venerationum cultu fatigabo.

*TUÆ MAGNIFICENTIÆ*

*Ad fideliss. obsequia ætatem devotus*

DANIEL ACHRELIUS.



*Praclarissime Excellentissimeq; Domine Professor.*



Uale quamque ingens præmium iis sit tributum, qui virtuti addicti, cætera quoque literarum studia adjunxerunt, facile absque frigido præcone ex memoriis temporum didiceras sufficientissimè; Tamen quod nobis gratulamur maximè, habet hoc seculum quoque, licet in aliis ruinam ni fallor moliri videatur non minimam, quo se ostendat à prioribus non dum deviasse: Est illud honorum Magnis Viris debitorum justa habenda memoria. Sub exemplo si loqui placuerit, Te ipsum hac vice considero Professor Excellentissime, cujus summam eruditionem, magnosque in Rempublicam literariam labores excipiunt istius dignitatis insignia, quibus majora non habet aliqua Academia; Sunt illa Rectoris Magnifici quod nemo potest non ignorare perquam ardua munera, nisi eam leviora faceret prompta illa mentis vis, ad agenda expediendaque negotiorum ardua, hætenus semper instructa semper intenta. Cum cæteris igitur  
meis

10  
meis sympatriotis, primo quidem pro multis in me collatis beneficiis, quæ apud me æterna erunt, gratias si non quantas debeam, saltem quantas possum persolvo maximas; Deinde de Te, anni hujus PRÆSIDE, sospitatoꝛe Academiæ ac vindice, de conservatoꝛe nostro, incredibile dictu quantum mihi gratulor. Deumque imortalem precor, ut omnes cogitationes tuas lætissimus sequatur eventus, ut virtutibus tantis Fama Academiæ & literarum existimatio, augeatur. Vale

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

*In humilimum obsequium hoc brevissimum vocabulorum adposuit pignus*

JOHANNES L. BROCHIUS.



Præclariss. Dn. Professor.

**R**ECÈ atq; eleganter ait exundans ille Eloquentiæ fons Cicero, verus justus & honestus labor, præmiis, honoribus & splendore decoratur. Quamvis itaq; interdum diversum acciderit, secusq; factum esse visum fuerit, non tamen ille insimulandus incusandusve venit, sed culpa omnis in illos rejicienda est, qui volentes se perlitteratos, omniumque doctrinarum supellectili instructos salutarè, nomen viri honestis studiis referti, viututumque amore flagrantis minime tueri possunt. Talium itaq; levium & futilium locutorum, verbis humidis & lapsantibus disfluentium projecta audaciâ fit, ut virorum omni liberali doctrinâ politissimorum laus sæpius supprimatur & obsoleseat. Ob unius etenim aut alterius exploratam ac perspectam audaciam, plures quamvis etiam à minimi errati suspitione remotissimi sint, in gravem incidunt suspitionem, & ita spe suâ altâ deturbantur, ab honoribusque arcentur. Tale quid heic terrarum non contingit, sed potius viri in castris

1671

Musarum militantes dignissimis afficiuntur premiis, honoribus-  
que ornantur summis. Ita ut merito, nemo non dicere queat,  
Hic Mater pacis justitia suum cuiq; distribuens, hic Mansuetio-  
rum Musarum ardentia & pertinacia studia vigent florentque.  
Verissimum eà de re perhibent Testimonium, Patrum Academia  
nostra summa modestia, equitas & altitudo animi, quod sicut  
in omnibus rebus gerendis administrandisq;, singulari quadam  
prudentiâ & mirificâ justitiâ utuntur, ita & in conferendis pre-  
miis hominibus bene de Republicâ literariâ meritis, nec unius nec  
alterius laudi aliquid derogatum velint, verum unicuique ob  
amplissima in Rempublicam merita honorem deferunt habentque.  
Monstrat hoc in praesens Rectoratus mutatio hodierno die peracta.  
Siquidem in virum in omni literarum genere versatissimum  
Praclariss. & Excellentissim. Mr: MARTINUM MILTO-  
PÆUM in hac universitate Eloq. Professorem Publ. honoris in-  
signia contulerunt, Rectorisque Magnifici officium illi manda-  
runt delegaruntq;. Et hoc quidem non immeritò, diligentif-  
simus namque in promerendo fuit, plurimum illi in Doctrinâ &  
humanitate percipiendâ à pueritiâ studij fuit & temporis, mul-  
tas subiit molestias, per plurimas devoravit difficultates, summè  
omnium doctrinarum virtutumque studiosum se praestitit. Rectè  
ergò honor & gloria illi delata sunt, imò adagio satisfactum est  
sic sonanti, virtutem laboremque gloria comitatur ut umbra cor-  
pus. Hos novos honores Praclarissimo Professore una cum meis  
commilitonibus Academia hujus civibus impigerrimis gratulari,  
debita observantia & propinqua cognatio quâ illi sum adnexus  
mibi injungunt imponuntque. Facerem itaq; quod mearum est  
partium, sed vereor, ut paupertini ingenii mei factus ejus compta  
facundia par esse possit. Ita etiam hic me amenitate amena a-  
menus oneravit dies, ut gaudium gaudeam verum & genuinum,  
atq; in ipso penetrati cordis & animæ vigens; praterea tenuis  
sum facundia, verborumq; inops. Gratulor tamen Praclariss. &  
Excellentiss. Domino Professore avunculo meo omni honoris cul-  
tu

tu prosequendo hæc præmia virtutis, hanc auram honoris magni laboris, multaq; opera, hunc gradum dignitatis summa cura & meditamenti. Ex intimis item cordis recessibus exopto, ut probe agendis omnibus rebus hi honores auspiciatissimum illi initium sint, ut sub ope Christi muneris sibi assignati partes summa cum integritate exsequatur, utq; fortunatè ac beatè à naturà sibi circumscriptum vite curriculum decurrat absolvatque, Ac tandem expletà naturà satietate vivendi ad Dei æterna domicilia perveniat.

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

Æternis Perpetuisque meritis  
obæratuſ manens.  
SIMON Tolpo Aboënsis.

I. N. J.

**D**incipes ille ingenij doctrinaq; Plato, inter alia suæ egregia assiduâq; lectione dignissima dicta, de Republica hunc in modum disserit, Tum demum beatæ sunt Respublicæ, si aut docti aut sapientes viri eas regere incipiunt, aut ij qui regunt omne suum studium in doctrinâ ac sapientiâ collocarunt. Quod Apophthegma quantum ponderis quantumque momenti in se contineat neminem latet. Equidem si ab omni Zoilorum injuria, id quod cordatè dixit vindicandum esset atq; istâ in curâ testimonio extrinsecus afferendo destitueremur, quotidiana esset experientia si ad eam provocare velimus, quæ isto fasce faciliè nos levabit. Quomodo enim homines pacis tranquillitatisq; amantes, vitam placidam & quietam degere possent? nisi Magistratus à Deo ordinati presidio, ab hominum ingratorum faucibus eriperentur, atq; libertati restituerentur. Ideoq; Deo Ter optimo Maximo gratias nos agere oportet quod Regem nobis dederit ad dispensandum justitiam æquitatemq;

temq; inter homines. Deinde quoq; animo grato in Regem esse debemus, quod ipse non solum subditorum suorum consulat salutem, gravissimas causas decidendo remq; justam promovendo, sed etiam viros summa prudentia & in omni literarum genere apprime eruditos in toto suo regno constituat, quibus potestatem tradiderit, ulciscendi immorigeros, premiisque afficiendi homines probos & recte incedentes. Sicuti itaq; à Regiâ Majestate toti regno provisum est, ita & urbi Academiae nostrae Ephori directoresq; dati sunt, qui subditorum suorum inserviunt commoditati, omniaq; ad fines dirigunt utilissimos totiq; Reipublica saluberrimos. Omissis reliquis administrandi provinciis foris, Academia jurisdictionis nostrae statum, penitus pensitantes, videmus omnia tranquillo geri moderamine, justitiamq; etiam hic vigere incorruptam. Hic enim ut ceteros taceam RECTOR MAGNIFICUS ex decreto quorum interest clavum istius imperii tenet adq; gubernacula sedet. Cujus ordinatio tam prudenter est instituta, ut singulis annis mutetur, istudq; imperium ad alium transferatur, idq; eam ob causam ne alicujus sive laudi aliquid detrahatur, sive ne molestia & onera in unum cumulentur. Hac methodo hætenus integrâ & incorruptâ habitâ. ordo hujus vel gloria vel oneris ad Praeclariss: & Excellentissimum Professore M. MARTINUM MILTOPÆUM devolvitur, cui omine fausto hodierno die insignia RECTORIS MAGNIFICI prima vice, jure meritoq; traduntur. Illi igitur ex intimo cordis affectu gratulor, optoq; ut felix faustus prosperrimusq; hic illi delatus honos sit. Ad Deum præterea vota facio, ut illius sub novis his oneribus conatus & consilia benignè moderari & promovere dignetur, In sui nominis gloriam in Reipublica literaria utilitatem, propriumq; ejus honorem & nunquam intermorituram laudem; & tandem obfitum senio ad cælestia congregare velit habitacula. Ita vovet

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

Humilimus Cultor

HENRICUS Wargentini Aboënsis.